

tineri possē. Itaque de priori Senatusconsulto nihil mutatum est. 1537

Dum hæc geruntur, atque omnia ad bellum cum potentissima gente summo studio, ac solitudine comparantur, Suleimanus, qui jam, ut diximus, pridie nonas septembris Buthrotum pervenerat, viginti quinque peditum millia, ac triginta bellica tormenta Corcyram transmiserat, ut quæ Aheneobarbi avaritiæ, atque odio superfuerant, novis afflicta cladibus diriperet, ac incenderet. Ajax supremus Bassa, quem *Visirum* Turcæ vocant, & Aheneobarbus speculabundi propius ad oppidum accedunt, ut opportuna ad oppugnandum loca deligerent, cum præfecti antiqua suburbia, ne si in hostium potestatem venissent, illis protecti ad mœnia tutius, ac facilius accederent, excindi jussissent. Hostes opere tumultuario munitiones quatuor ad urbis conspectum erexere, ut, turbine tormentorum excusso, muros quaterent, ac nostros e mœnium corona deturbarent. Sed ob intervallum, quod longius intercedebat, globorum impetu, prius quam mœnia pertingeret, remisso non modo, verum extincto, nihil nostris incommodi, aut damni inferebatur. Itaque triremibus circumvecti hostes, qua oppidum ad austrum spectat, mœniaque magis depressa sunt, ac nulla fluctibus moles opponitur, ad certiore bene gerendæ rei spem loci propinquitate adducti, e proris majora tormenta displodunt, metu potius propugnatorum, quam damno. Nonnullæ ex iis triremibus a nostris, bellicis machinis ex oppido excussis, in mare altum demerguntur. Chariadeni triremis pila ferrea rostrum, ac tabulata, quæ a nautis *palmetæ* dicuntur, fracta, & comminuta sunt. Incolarum magna pars in torius insulæ consternatione, ac terrore, ut saluti prospiceret, in Euripum convenit; plerique potius fame confici, & ingenti imbrium vi, quæ per eos dies e cælo defluerat, obrui, ac mergi, quam hostibus se tradere maluerunt; multi funibus in oppidum pertracti; compluribus, agrestibus præcipue hominibus, Angelocastri arx ad meridiem sita præsidio fuit. Verum cum neque terra, neque mari Turcæ proficerent, atque eam esse oppidi, portusque munitionem, ut prope inexpugnabilis videretur, animadverterent; morbi passim grassari in classe, commeatu exercitus laborare coepisset: susceptæ Corcy-
rææ

*Corcyraa
suburbia a
Veneris di-
ruta.*

*Chariadeni
triremi a
Corcyraeis
damna illa-
ta.*

*Turcicæ
classis mor-
bis & com-
meatus ino-
pia vexata.*